

manet ergo angulus $d e b$ notus, & duo latera $d e$ & $e b$, ergo unusquisque duorum angulorum $e b d$, $e d b$ est notus, ergo totus angulus $d b t$ est notus. Et propterea quod angulus $e d b$ est notus, remanet angulus $3 b d$ notus, & unumquodque duorum laterum $3 d$, $d b$ est notum, ergo unusquisque duorum angulorum $d 3 b$ & $d b 3$ est notus, ergo angulus $a 3 b$ est notus, & est longitudo centri orbis reuolutionis in hora considerationis à puncto longitudinis longioris, et similiter angulus $d b t$ iam fuit ostensum quod est notus, ergo totus angulus $3 b t$ est notus. Remanet ergo angulus $n b t$ notus, ergo longitudo stellæ à puncto longitudinis longioris mediæ orbis reuolutionis in hora considerationis etiam est nota, & illud est cuius uolumus declarationem. Iam autem fuit locus stellæ medius in longitudine & diuersitate in hora considerationis tertiæ, quæ fuit secundum tempus suum notus. Verificauit ergo quod est inter duo tempora, & diuisit super ipsum numerum reuolutionum centri orbis reuolutionis, et numerum reditionum stellæ in orbe reuolutionis suæ, & superfluitates additas, exiuit ergo quantitas motus stellæ reuolubilis in longitudine & diuersitate, & illud est cuius uolumus declarationem. Inuenit ergo motum diuersitatis in die uno Saturni quidam 57. minuta et 7. secunda & 43. tertia et 41. quartum et 43. quinta et 40. sexta per propinquitatem. Et Iouis quidem 54. minuta et 9. secunda et duo tertia et 46. quarta et 26. quinta. Et Martis quidem 27. minuta et 41. secundum et 40. tertia et 19. quarta et 20. quinta et 58. sexta. Et Veneris quidem 36. minuta et 59. secunda et 25. tertia et 53. quarta et 11. quinta et 20. sexta. Et Mercurij quidem tres partes & 6. minuta et 24. secunda et 6. tertia et 59. quarta et 35. quinta et 50. sexta. Postea ipse minuit ex motu solis medio diei motum cuiusque stellæ trium in die, & remanet motus longitudinis eius. Inuenit ergo illud Saturni quidem duo minuta 0. secunda & 33. tertia & 31. quartum & 28. quintum & 51. sextum. Et Iouis quidem 4. minuta et 59. secunda, & 14. tertia & 26. quarta & 46. quinta & 31. sextum. Et Martis quidem 31. minutum & 26. secunda & 36. tertia & 53. quarta & 51. quintum & 30. sexta.

De ligatione comprehensionis motuum stellæ in longitudine & diuersitate.

ET propterea quod uoluit scire in hora regni Nabuchodonosor loca stellarum trium in longitudine & diuersitate, accepit tempus quod fuit inter regnum Nabuchodonosor & inter horam considerationis antiquæ, & uerificauit ipsum, & sciuit illud quod conuenit ei de reuolutionibus longitudinis & diuersitatis, & proiecit illud ex locis stellæ in hora illius considerationis, & sciuit per illud duo loca stellæ per medium in longitudine & diuersitate in hora regni Nabuchodonosor. Inuenit ergo locum Saturni in longitudine super 26. partes & 43. minuta capricorni, & in diuersitate super 32. partes & duo minuta à longitudine longiori, & locum Iouis in longitudine super 4. partes & 41. minutum libræ, & in diuersitate super 144. in longitudine longiori, & locum Martis in longitudine super tres 32. arietis, & in diuersitate super 320. 13. à longitudine longiori. Et similiter comprehendit loca augium harum stellarum in illa hora, inuenit ergo augem Saturni in 20. 10. scorpionis, & Iouis super duas nouem uirginis, & Martis super 16. 40. cancri.

LIBER OCTAVVS. DE STATIONE ET retrogradatione stellarum.



Propterea quod uir iste memoratus est inuentionis stationis stellarum, secundum quod non sit ei nisi diuersitas una tantum, & est illa, quæ est per comparationem ad solem, & propterea quod huius diuersitatis casus præparatur secundum unamquamque duarum radicum, scilicet radicem orbis ecentrici & radicem orbis reuolutionis, fuit ei necessarium erigere demonstrationem secundum assimilationem habitudinis stationis & temporis eius in unaquaque duarum radicum, uisum est nobis, ut abbreviemus illud, cum non sit nobis necessarium prolongare & frustra uociferare, propterea quod iam uerificauimus, quia est uanum, & quod res in stellis est secundum contrarium illius, quod est, quia ipse iam demonstratiue probauit quod stella habet duas diuersitates, quarum una est secundum orbem ecentricum, & secunda secundum orbem reuolutionis suæ. Incipiamus ergo nunc præmittere quod præmittendum est in inuentione loci stellæ, secundum quod sint ei duæ diuersitates, sicut

qq 3 iam